

~~H. E. 3302~~

7

**Ad Cesaree Maiest. inter-
rogata D. Martini L.
responsum Wurmacie
xvii. Aprilis. Anno
M. D. XXI.**



P. Cursori Karalo amato suo
F. i. Z. P. A

Serenissime D. Impator, Illustrissimi Principes, clementissimi domini, ad prefixum mihi hesternovespero terminum, omnibus compares per misericordiam dei obsecrans. Serenissima maiestas vestra dominationesq; vestre Illustrissime dignentur causam hanc (ut spero) iustitie & veritatis clementer audire, atq; si per imperitiam meam vel dignos titulos cuiq; non dederit, vel quocumq; modo in mores gestusq; aulicos peccauero, benigniter ignoscere ut homini non in aulis, sed in angulis monachorum versato, qui nihil aliud de me testari possum, quam ea simplicitate animi hactenus me docuisse & scripsisse, ut tantum gloriam dei & sinceram fidelium Christi institutionem spectarem. Serenissime Imperator Illustrissimi Principes ad duos illos articulos heri per S. Maiestatem vestram mihi propositos, scilicet an libellos recensitos & nomine meo euulgatos agnoscerem meos, & in his defendendis perseverare aut reuocare velim, dedi paratum & planum responsum super articulo priore in quo adhuc persisto, persistamq; in eternum, esse videlicet eos libros meos meoq; nomine a me euulgatos. Nisi forte interim acciderit ut emulorum vel astuta vel sapientia importuna quicquam in illis, mutatum aut deprauatum excep- tum sit. Nam aliud plane non agnosco, nisi quod meum solius est, & a me solo scriptum citra omnem cuiusvis industrie interpretationem.

Ad alterum vero responsum rogo S. Maiestas vestra & d. vestre dignentur animum aduertere, libros meos non esse eiusdem generis. Sunt enim aliqui, in quibus pietatem fidei & morum adeo simpliciter & euangelice tractavi, ut ipsimet aduersarij coguntur eos confiteri viles, maximos & plane dignos lectione Christiana. Sed & Bulla, quamquam seua, crudelis aliquot meos libros innoxios facit, licet & hos damnet, iudicio prorsus monstrifico. Si itaq; hos reuocare inciperem, obsecro, quid facerem nisi quod vnus ex omnibus mortalibus eam veritatem damnarem, quam amici & inimici pariter confitentur, Solus omnium confessioni concordia relictus.

Alterum genus est quod in Papatum, resq; Papistarum inuehitur tanquam in eos qui suis & doctrinis & exemplis pessimis orbem Christianum vtroque malo & spiritus vastauerunt & corporis. Nam id neque negare neque dissimulare quisquam potest, cum experientia omnium, & vniuersorum queremonie testes sint, per leges Pape & doctrinas hominum conscientias fidelium miserrime esse illaqueatas, vexatas & excarnificatas, tum res & substantias presera-

tim in hac inclita Germanie natione, incredibili tyrannide deuoratas, deuoraturiq; ad huc sine fine, indignisq; modis et suis mei de cretis ipsi canent (ut distin. 9. & 25. q. 1. & 2.) ut Pape leges & doctrinas euangelio aut patrum sententis contrarias pro erroneis & reprobis habeantur. Si igitur & hos reuocauero nihil aliud prestitero, quam ut tyrannidibus adiecero, & tate impietati, iam non fenestras sed valvas aperuero grassaturę lacis & liberi quam hactenus vnquam ausa fuerit, & fiet meę huius reuocationis testimonio licetio- sissime & impunitissime, nequicie illorum regnum, misero vulgo longe intollerabilissimum, & tamen roboratum ac stabilitum presertim si iactatum fuerit, id a me factum auctoritate S. Maiestatis vestre serenissime, totiusq; Romani Imperij. Quantum ego (deus bone) tum fuero operculum nequicie & tyrannidis, Tertium genus eorum est, quos in aliquot priuatos & singulares (ut vocant) personas scripsi, eos sed qui tyrannidem Romanam tueri, & pietatem a me doctam labefactare moliti sunt, in hos confiteor me fuisse acerbiorē, quam pro religione aut professione. Neque enim me sanctum aliquem facio, neque de vita mea, sed de doctrina Christi disputo. Ne hos reuocare integrum est mihi, quod ea reuocatione iterum futurum sit, ut tyrannis & impietas meo patrocinio regnent & seuiant in populum dei violentius quam vnquam regnauerint. Tamen quia homo sum & non deus, alio patrocinio meis libellis adesse non possum, quam ipse dominus meus Iesus Christus affuit sue doctrine, qui cum coram Anna de sua doctrina fuisset interrogatus, & alapam a ministro accepisset, dixit, Si male locutus sum testimonium perhibe de malo. Si dominus ipse, qui sciebat sese errare non posse, non tantum deiecit testimonium aduersus suam doctrinam audire, etiam a vilissimo seruo, quanto magis ego fex non nisi errare potens, debeo expetere & expectare, si quis testimonium reddere velit aduersus meam doctrinam. Itaque rogo per misericordiam dei S. Maiestas vestra, Illustrissime dominationes, aut quicumque tandem, vel summus vel infimus, possit, reddat testimonium, conuiccat errores superet scripturis prophetis & Euangelicis, paratissimus enim ero, si edoctus fuero, quęcunq; errorem reuocare, eroque primus qui libellos meos in ignem proiciam, Ex his arbitror liquidum fieri me satis curasse & poterasse discrimina & pericula seu studia & dissensiones meę doctrine occasione in orbe excitata, de quibus heri grauiter & fortiter admonitus fui, mihi plane omnium iucundissima facies ista inrebus est, videre ob verbum dei studia & dissensiones fieri. Is enim est verbi dei cursus casus & euentus, sicut dicit Non veni pacem



mittere, s; gladiū, veni. n. separare hominē aduers⁹ patrē suū &c.
Proinde cogitandū nobis est, q̄ deus noster sit mirabilis & ter-
ribilis in concilijs suis, ne forte id quod pro sedandis studijs tē-
tatur, si a dānato verbo dei exordiamur, vergat potius in intolle-
rabilem malorū diluuiū, & curandum sit, ne adolescentis huius
optimi Principis Caroli (in quo post deū multa spes est) infelix
inauspiciatum fiat imperiū, possem locupletibus exemplis scrip-
turę, de Pharaone rege Babilonis & regib⁹ Israel, rem declarare, q̄
tum sese maxime perdidērunt, tantū sapientissimis consilijs sua
regna pacificare & stabilire studuerūt. Ipse est em̄ qui cōprehen-
dit astutos, & astutia sua subuertit montes anteq̄ cognoscant,
Itaq; timore dei opus est. Non hec dico, quod opus sit mea v^l
doctrina vel monitione tantis verticibus, sed quod obsequium
mee Germanię debitū subtrahere nō debuerim, ex his me. M.
vestrę dominacionibusq; vestris commendo humiliter rogans,
ne paciantur studijs aduersariorū me sine causa sibi reddi iniuistū
Dixi.

¶ His dictis Orator Imperij increpabundo similis dixit me non
ad rem respondisse, nec debere in questionem vocari, que olim
in Concilijs essent damnata & diffinita, ideo a me peti simplex
non curuatum responsum, an velim reuocare vel non.

Hic ego.

¶ Quando ergo S. M. vestra. d. q̄. vestrę simplex respons-
sum periuit, dabo illud neq; curuātū neq; dentatū in hūc modū
Nisi conuictus fuero testimonijs scripturarū, aut ratione euidentē
(nā neq; Papę neq; cōcilijs solis credo, cū constet eos & errasse
sepius & sibīpsis contradixisse) victus sum, scripturis a me
adductis, & capta cōscientia in verbis dei, reuocare neq; possū
nec volo quicq; , cū contra cōscientiam agere, neq; tutum neq;
integrum sit.

Ich kan nicht anderst/hie stehe ich/Got helff mir/Amē.